



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Methodvs Expeditæ Confessionis Tum pro Confessarijs, tum pro Pœnitentibus**

**Tamburini, Tommaso**

**Coloniæ Agrippinæ, 1657**

Methodi Expeditæ Confessionis, Libri Qvinque. Intentio, & divisio Operis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41773**

# METHODI

EXPEDITÆ  
CONFESSIONIS,

LIBRI QVINQVE.

Intentio, & divisio  
Operis.



Confessionis Sacramentalis præceptum arduum sanè est, atque difficultatibus per se oblitum. Verum additis tot Recentiorum Doctorum animadversionibus, molestiarum, ac perplexitatum accessio tanta facta est; ut nonnullos terreat magis, quam ut par est, invitet, alliciatque. At enim vero nequaquam sub tantis, talibusque spinarum aculeis, quot qualesque acutiora Theologorum ingenia, vel extra discretionis mensuram timoratorum conscientia repetere, tam necessarium, quotidianum, utile, naturæque humane fragilitati, ut fas erat, accommodatum, Dominus noster, ac benignissimus Ecclesie patrens constituisse credendus est. In gratiam ergo

A

Confes-

Confessariorum, ac Pœnitentium, operæ me præ-  
tium facturum puto, si ex infinitis propemodum,  
hac de re tota, opinionibus, eas diligenter seligam,  
quæ viam faciliorem, (saltem ex probabili  
sententia, quam tuto sequi valeamus) ad  
excipiendas, exhibendasque confessiones expedi-  
ant. Id quod breviter, Methodoque ad præ-  
xim, ut mea est mens, non vero ad Theologicas  
speculationes idonea, tunc profecto prosperè con-  
sequar, cum aspirabit facilis Deus, cui omnia  
mea ex animo dicata esse profiteor.

2 Quemadmodum autem quatuor integrè  
constat partibus Pœnitentiæ Sacramentum  
(Conc. Trid. sess. 14. cap. 3.) Dolor cordis,  
oris Confessione, atque Satisfactione, tamquam  
partibus materialibus, at Absolutione tamquam  
forma; ita & quatuor hæc instructio partes com-  
plectetur, in singulis enim facilitas est investi-  
ganda, ut sacrarum Confessionum arbitris tantis  
Sacramenti administratio non difficilis, ejusdem  
que susceptio Pœnitentibus plana, & optanda  
potius quam timenda proponatur.

LIBER